DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu; et

Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILÉGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS MORISON,

SCOTUS,

CHIRURGUS:

Ad diem 24. Junii, horâ locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC.

VIRO CELEBERRIMO,

JOANNI BELL, ARMIGERO,

ANATOMES ET CHIRURGIÆ PRINCIPI,

HUNC

STUDIORUM PRODROMUM,

OB PLURIMA OFFICIA NON VULGARIA,

QUIBUS EUM COHONESTARE

DIGNATUS EST,

GRATI ANIMI ET OBSERVANTIÆ

PIGNUS,

SACRUM VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

QUONIAM legibus Academiæ hujus celeberrimæ ſtatutum eſt, ut, quicunque ſummos medicinæ honores ambiunt, aliquid ſcientiæ ſpecimen ederent, examini eruditorum ſubjiciendum; nullus ſanè meliore jure medicorum attentionem ſibi vindicare videtur, quàm morbus periculi plenus, qui apud medicos Dyſenteria audit.

Apud Græcos Δυσεντερια vocatur, et apud Romanos Tormina ſeu Difficultas Inteſtinorum. Dr Akenside, de hoc morbo differens, ei Inteſtinorum Rheumatiſmum nomen impoſuit.

Inter omnes dyſenteriæ quotquot vidi definitiones, nulla mihi magis arridet quàm ea a cel. Cullen uſitatâ adumbrata ſolertiâ : morbum de quo agitur optimè notat, et ab aliis ſecernit.

" Pyrexia contagioſa ; dejectiones frequen-
" tes mucoſæ vel ſanguinolentæ, retentis ple-
" rumque fæcibus alvinis ; tormina, teneſ-
" mus *."

" Variat,
" 1. Vermibus comitatâ ;
" 2. Rejectis moleculis carnoſis, vel ſebaceis ;
" 3. Febre

* Vid. Noſol. Method. t. 2. p. 178.

"3. Febre intermittente comitatâ;
"4. Sine ſanguine;
"5. Miliariâ comitatâ."

Eſt et aliud ſignum auctoribus paſſim obſervatum, quod haud raró dyſenteriæ ſe comitem adjungit, *flatus* nimirùm, qui ſatìs commodè definitioni Doctoris Cullen forſan ſubnecti queat.

Sed cùm definitio accuratiſſima morbum, nequaquam æquè benè depingit ac hiſtoria fidelis, oportet me talem hiſtoriam tractare.

MORBI HISTORIA.

Hic morbus plerumque in calidis temporibus et regionibus accidit, exeunte æſtate vel ineunte autumno, quo tempore febres intermittentes atque remittentes maximè graſſantur,

tur, quas ſæpe comitatur; æſtatibus ardentibus et pluvioſis exeuntibus valdè viget, et præcipuè exitioſus exercitibus devenit, in locis demiſſis humidisque collocatis, et expoſitis effluviis putridis materiarum rancidarum animalium et vegetabilium, comitante calidiſſimo et humidiſſimo aëris ſtatu.

Plerumque pyrexiæ ſigna prægrediuntur, languor, laſſitudo, rigores, et magna debilitas, anorexia, nauſea, et vomitus materiæ ſæpe bilioſæ; tandem alia ſigna febrilia ſuccedunt, calor, ſcilicet, ſitis, dolor capitis, dorſi et lumborum, pulſus frequens, et cutis arida.

Præter febrem generalem, notæ ſunt affectiones topicæ: ſeſe oſtendunt, nempe, alvi aſtrictio, ventriculi et inteſtinorum inflatio; fæces quantitate admodum parca excernuntur, præcipue ſpumoſæ, materiæ mucoſæ, cum bile et ſæpe ſanguine mixtæ, comitantibus tor-

minibus

minibus et tenesmo. Alvi dejectiones primis morbi diebus sæpe amplæ et biliosæ sunt, et tenesmum et signa febrilia per tempus breve sedant, aliquantum remittunt, mox auctâ vi reditura. Enim alvo fortiùs astrictâ signa omnia augentur, dejectiones alvi glutinosæ frequentiores fiunt, torminum acerbitas et tenesmi multùm ingravescunt.

Alvi dejectiones quæ in dysenteria occurrunt, sunt, ut dixi, præsertim spumosæ cum muco, bili et sanguine sæpe mixta: sed haud parùm specie variant; interdum sanguine omninò carentes, tum Fluxus Albus appellatur; autem in exemplis aliis, sanguinis puri profusio tanta est, quo ægrotum in vitæ discrimen adducat *.

Vermes

* Vid. Mosley *on Tropical Diseases.*

Vermes generis teretis ſæpe inventi ſunt in fæcibus dyſenteriæ laborantium, et interdum vomitu ejiciuntur * ; ſæpiſſime quoque moleculi, his aut caſei fruſtulis haud abſimiles, unà reperti fuerunt. Fæces ſemper fœtidiſſimæ ſunt, et præcipuè in morbi ſtadiis magìs provectis, et gangrænâ incipiente maximè peſtiferæ deveniunt. Sæpiſſime pus verum excernitur ; et cum hoc in morbi principio evenit, J. PRINGLE, Eques, alium morbum ſubeſſe opinatur.

"Not," inquit ille, "but that the inteſ-
"tines are liable to be ulcerated in dyſen-
"tary ; but ſo late, that the matter is either
"changed into a putrid *ſanies*, or is ſo blend-
"ed with blood and *mucus*, as not to be
"ſeen."

Dr

---

* Vid. MONRO *on the Diſeaſes of Military Hoſpitals.*

Dr D. Monro ægrotantium mentionem fecit, qui in decurſu morbi de dolore vehementi circa rectum conqueſti ſunt, maximè ſæviente cum fæces dejectæ ſunt, per aliquot dies duraturo; tandem pure flavo cum fæcibus dejecto, abeunte; et hoc attribuit inflammationi acutæ partis; dolor enim mitigatus eſt, venæſectione et enematibus ſæpe iteratis. Subſtantiæ membranaceæ, tunicam villoſam ſimulantes, rariùs dejiciuntur.

Sed Morgagni, in libro ſuo de Sedibus et Cauſis Morborum, Epiſt. 31. inquit, has ſubſtantias membranaceas in fæcibus apparentes, non fruſtulas tunicæ villoſæ inteſtinorum eſſe, ut auctores putant, ſed mucum inſpiſſatum et lympham. Verò, ex diſſectionibus Joannis Pringle, Equitis, et aliorum, potiùs crediderim eas eſſe veram tunicam villoſam inteſtinorum. Muco ex parte inteſtinorum in-

feriore

feriore amoto, tunica villofa abradi et ejici poffit.

Si fæces alvinæ ejectæ in globulis duris apparent, Scybala appellantur. Fæces alvinæ quæ in coli cellis diu remorantes, globularum durarum formam adeptæ funt, et fiquando ejiciuntur figna omnia remittunt.

Febris quæ hæc figna comitatur variam induit formam; aliquando violentiffima eft, alias levis omninò aut nulla. Interdum vehemens febris biliofa in dyfenteriam definet *, cùm in exemplis aliis, febris eft fynocha, et interdum putrida, quæ, notis gangrænæ inductis, citò fatalis evadit. Sed plerumque febris eft levis donec morbus longè duravit; tunc typho graviore ftipatur.

In

* Vid. Pringle & Monro *on Army Difeafes.*

In exemplis quibuſdam morbus ſponte ſuâ decedit, in aliis diu durat et in diarrhœam vel lienteriam deſinit * ; ſi verò inflammationis, aut putredinis ſigna gravia ſint, paucis diebus exitum lethalem habere ſolet. Modò perpetua in ſomnum proclivitas, et interdum etiam morbi initio convulſiones adſunt. In caſibus levioribus, delirium primis morbi diebus urgere fertur †.

Principio, ſingultus non periculoſus eſt ; ſed quum morbi ſtadiis productis advenit, indicat ventriculum inflammatum eſſe, vel inteſtinorum gangrænam inceptam, præſertim ſi notæ conſuetæ gangrænæ adſint.

* Vid. Cullen's *Firſt Lines*, vol. iii. p. 124.

† Vid. Zimmerman, p. 3.

Lingua ſub curſu morbi fuſca eſt, adverſus finem arida et nigra fit, et ſitis inexplebilis; ſomnus turbatur et abrumpitur.

Pulſus in hoc morbo multùm variat, pro ætate et temperamento ægrotantis, ſæpe tardus ac debilis; exceptis quibuſdam caſibus, qui verno tempore contingunt, quando morbus robuſtos, ac bene valentes corripit; febris augetur noctu, et manè remiſſio accidit.

Si remedia apta applicentur in morbi principio, ſigna omnia leviora fiunt: Febris minuitur, dejectiones minùs frequentes fiunt, tormina et teneſmus non tam ſevera, et ægrotans gradatim convaleſcit: Sin negligitur morbus aut diu protrahitur, gangræna advenit, vel ad eam proclivitas. Gangrænæ exortæ ſigna ſunt, ceſſatio doloris omnis, qui hactenus intolerandus fuerat; pulſus debilis, irregularis, et intermittens; ſingultus; oculi

languidi

languidi et viſus defectus; dejectiones urinæ ac ſtercoris inſcio ægro, quæ nigræ et fœtidiſſimæ apparent; extremorum corporis frigus, quæ cum gelido et viſcido ſudore teguntur; difficultas devorandi; lingua nigra et aphthis obſita; coma aut delirium; interdum ſubſultus tendinum et convulſiones, quæ ſigna periculoſa citò morte ægrotantis excipiuntur.

Horum ſignorum pauciora vel pluria morti antecedunt; ſed nunquam omnia ſimul in eodem ægro inveniuntur. Vel inflammatio abeat in ulcerationem, quæ febre hectica ſuboriente, ægrum diu macerat, tandem ad mortem perducit: Vel ſtatu craſſo et ſchirroſo tunicarum inteſtinorum deſinere poſſit.

Duratio dyſenteriæ incertiſſima eſt. Interdum ægrum de medio tollit paucis diebus: aliàs hebdomadibus vel etiam menſibus durans,

rans, tunc malè desinit; relinquens intestina in statu tam irritabili et relaxato, ut causâ levissimâ morbus iterum recrudescat, et interdum diarrhœam permanentem inducit, quæ vix remediis auscultat.

Initium magìs frequens, progressus et terminatio hujusce morbi, cursum plerumque tenent quem modò descripsi; sed observari debet nullam descriptionem, quæ omnibus casibus conveniat, reddi posse, quippe signa et accessionis tempus tam varia sunt, ut difficile vel potiùs impossibile sit eorum historiam perfectam reddere, ut in concursu vel successione occurrant. Ita morbus aliquando ad diarrhœam succedit, quum signa affectionis localis præsertim notanda sunt; et interdum cum nulla diarrhœa prævia, signa localia vix observata sunt, vel raro apparent, dum notæ febris generalis violentis sese ostendunt.

Antequam

Antequam hiſtoriam morbi ad finem perducam, haud a re ſejunctum, obiter notâſſe præcipua quæ cadaveribus introſpicientibus ſeſe in conſpectum dederunt.

Ex auctorum conſenſu apparet, ut omnis pars canalis alimentariæ hinc afficitur, et etiam interdum viſcera cætera. Exempla fuerunt ubi lien hepar magnitudine adæquabat, et in alio ubi hepar ad umbilicum deſcendebat et ad decem libras ponderavit, ejus ſubſtantia tenerrima, in eo abſceſſus magnus, et veſica fellis multùm diſtenta cum bile nigra *. Ventriculus interdum maculis lividis et gangrænoſis inventus fuerit †. Sed colon et rectum ſunt inteſtina maximè affecta, et in omni

caſu

* Vid. Sir J. Pringle *on Army Diſeaſes.*

† Vid. Dr D. Monro *on the Diſeaſes of Military Hoſpitals.*

casu magìs minúsve inflammantur, ulcerantur, vel gangrænosa apparent, in superficie interna; et tunica villosa, vel abrasa vel mutata est in substantiam corruptam glutinosam; et etiam, ubi nulla ulceratio adest, tunica vasculosa intestinorum, in quibusdam exemplis, aspectum præparationis injectæ ceræ habuit, ligamentis coli semicorruptis, et laxissimè tunicæ exteriori adhærentibus; nihilominus in hoc statu morboso intestinorum, nulla pars eorum ulceratione corripiebantur.

Parvæ pustulæ inflammatoriæ, variolis similes, continentes pus ichorosum, in internis crassorum intestinorum sæpe inveniuntur, quæ interdum fæcibus ejiciuntur; aliàs hæ pustulæ firmiores texturæ sunt, et videntur esse glandulas amplificatas, aspectum variolarum referentes. Intestinorum cavum multùm diminuitur, et ilia sæpe inflammantur; tunicæ nodosæ, densatæ, et adherentes apparent.

rent. Tegumenta abdominis etiam afficiuntur; adeps et muſculi mollia et ſero plena conſpiciuntur.

Profeſſor noſter anatomicæ jurè cel. Dr Monro, cui medicina multùm debet, in prælectionibus ejus præparationes multas exhibet inteſtinorum ægrotantium, qui hoc morbo laborantes mortui ſunt.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hæ variæ eſtimatæ fuerunt, ſed mihi apparet eas comprehendi poſſe ſub capitibus duobus.

Primò, Omnes hæ conditiones, quæ debilitatem inducendo, corpus reddunt aptiùs quare a contagione afficiatur.

Secundò,

Secundò, Quicquid tendit ad ſtatum acrem fluidorum excitandum.

Sub primo, calor immodicus, morbus prævius, fatigatio magna, humor perſpirationem cohibens, et fluxum fluidorum ad inteſtina divertens, affectus animi, præſertim deprimentes, pōtus nimius, edacitas fructuum immaturorum, et veneris abuſus, comprehenduntur.

Acrimoniam humorum aliquatenus ſaltem in dyſenteria accidere adductus ſum ut crederem, præſertim in iis quæ in caſtris vigent, poſt tempeſtatem calidam, et quum cibi ægrotantium, ex ſalitis alimentis conflati fuerunt; et ad effluviam putridam expoſiti, ex caſtrorum colluvione provenientem, unà cum cœlo humido perſpirationem ſupprimente.

Quoniam hic morbus haud rarò ſub iiſdem cauſis quæ ſtatum bilis afficere ſoleant, appa-

reat,

reat affinitatem aliquam cum cholera habere; et cùm ex parte viſcerum affecta, ſub forma choleræ aut dyſenteriæ apparere; choleræ, ſi ſyſtema biliare ſolùm afficiatur, et dyſenteriæ, ſi cauſæ excitantes vires in inteſtina præſertim craſſa exerceant.

Sed fortaſſe ſub certis varietatibus cauſæ remotæ (quicquid eſt), et certis conjunctionibus rerum (quarum ignari ſumus), alteruter harum produci queat. Sed quæ connectio ſit inter dyſenteriam et ſtatum bilis anceps omninò hæreo.

Effluvia materiarum putridarum animalium canalem alimentariam afficit, et ex opinione Doctoris Cullen diarrhœam producit; ſed in dubio eſt ſi unquam ex ea dyſenteria oriatur. J. Pringle, Eques, mentionem fecit exempli hominis dyſenteriâ verâ correpti, quæ

facilè referri potuit ſanguini humano putrido cui ſe objecerat.

Frigus nonnunquam cauſa excitans dyſenteriæ exiſtimatur, et etiam tunc contagioſa eſt, et ſine frigore epidemica fit *. Et WARDROPE, bello Americano, dyſenteriam in caſtris Britannicis ex humore ſolo, nullâ causâ cur contagionem adeſſe ſuſpicaretur exiſtente, oriri affirmat. Sed veriſimile eſt ſine contagione, frigus per ſe morbum concitandum nequaquam valere.

Præcipua vel vera excitans cauſa dyſenteriæ, eſſe *contagio ſui generis* apparet, quæ forſitan ex combinatione vel modificatione effluviorum certa oriatur, ex materiis animalibus vegetabilibusque provenientium, in ſtatu putredinis;

* Vid. CULLEN'S *Firſt Lines*, vol. iii. p. 126.

nis ; hoc probabile videtur, ex dyſenteriæ frequentia inter milites in ſitu expoſito ad tales exhalationes putridas collocatos. Obſervatur, in iis tempeſtatibus cùm plurimæ muſcæ, erucæ, &c. producuntur, et quæ ex calore, humore, et putredine, oriuntur, dyſenteriam plus vigere et fatalem eſſe. Fæces laborantium dyſenteriâ valdè peſtiferæ ſunt.

Quoniam autem nihil certè habemus de natura contagionis, vel quomodo dyſenteriam inducat, aut vis quâ ſe auget, omninò ſupervacuum foret hoc conjecturâ nullo fundamento nitente, ulteriùs proſequi ; et an dyſenteria unquam ſine contagione ſpecifica occurrit, incertiſſimum eſt. Veriſimilius eſt alias cauſas, quæ vulgò creditæ fuerunt hunc morbum excitare, tantùm valere, quantùm cum contagione concurrant.

CAUSÆ

CAUSÆ PROXIMÆ.

Causa proxima morbi cujusque adhuc obscurissima est; sed, secundum auctores, videtur in hoc morbo, esse, materia acris generata vel in intestina recepta. J. Pringle, Eques, credit eam esse naturæ putridæ, et opinatur exinde rationem reddi intestinorum inflammatorum gangrænâ laborantium, et quoque inflationis ventris, quæ hunc morbum comitantur. Dr D. Monro huic opinioni quoque favet. Dr Cullen causam morbi proximam, maxima saltem ex parte, ad constrictionem coli præternaturam refert, vellicationes spasmodicas, et tormina acerbiora excitantem, quæ ad rectum usque propagata, fæces frequentes mucosas et tenesmum producunt; sed hoc est effectus, non causa morbi. Pro certo quoque habet, tormina, dejectiones frequentes, et tenesmum, e fæcibus induratis in

coli

coli cellulis retentis, rectè deduci. Hæc opinio magìs mihi placet, et prioribus certè longè verisimilior est.

Sectiones cadaverum ostendunt colon et rectum inflammata, interdum gangrænâ affecta, vel præternaturam crassa. Dr MONRO credit inflammationem tunicæ villosæ intestinorum, esse causam proximam morbi; sed hæc inflammatio ab ea *enteritis* dicta differt; neque potest dici inflammatio *passiva*: nam inflammatio variat secundum diversitatem causæ excitantis, et naturam partis affectæ; (exemplum reddere), inflammatio in cynanche maligna multùm diversa est ab ea in cynanche tonsillari. Et multa alia exempla redderentur ostendere, ut inflammatio multùm variat, pro diversitate causæ excitantis.

Fæces mucosæ frequentes, et tenesmus, videntur ex glandulis mucosis in recto procedere,

dere, ſecretione earum adauctâ, fortaſſe acri redditâ, et hinc cauſam irritationis præbente. Sanguis plerumque ex vaſis recti eroſis provenit: ſed ſi cum fæcibus commixtus, quibuſdam vaſorum ſuperiorum venit. Ante mortem fæces haud tam ſanguinolentæ fiunt, ſanguine tum exiſtente ichoroſo.

Morbo inveterato, duo ſymptomata permoleſta haud raro ſuboriuntur; prolapſus ani, nimirùm, et ſtranguria; prior teneſmi, et altera irritationis e recto communicatæ ad veſicæ cervicem, proles.

DIAGNOSIS

In hoc morbo raro difficilis eſt. Morbi quibuſcum ſolis unquam confundi poteſt, ſunt, Diarrhœa, Cholera, et interdum Hæmorrhoides.

Diſtingui

Diſtingui poſſit a diarrhœa fæcibus retentis, et ſi ejectæ fuerunt, in maſſulas duras dejiciuntur; in diarrhœa autem fæces formâ naturali excernuntur. Dyſenteria quoque febrem contagioſam habet; diarrhœa raró febre ſtipatur, nec unquam contagioſa eſt.

A cholera eam ſecernimus teneſmo moleſto, qui nunquam vel raró in cholera adeſt; vomitus bilioſus tam inceſſans nec tantâ vehementiâ urget, ac in cholera accidit; dejectiones in cholera ampliſſimæ ſunt, mixtæque cum magna quantitate bilis, et plerumque cardialgiâ præceditur; ſurarum ſpaſmi raró vel nunquam in dyſenteria occurrunt.

In hæmorrhoidibus fæces naturales ſunt, et tumores ſæpe circum anum apparent, ex quibus ſanguis purus ſæpiſſime profluit. Sed definitiones Doctoris Cullen de his morbis obſervando,

obſervando, a ſe invicem facilè ſeparari poſſint.

PROGNOSIS.

Morbi hujus eventus ſemper valdè dubius eſt, ſed cognoſci poteſt ſi ad ſequentia attendamus. Ætatem, nimirùm, ſexum, habitumque ægroti; ſi aliquo morbo præcedente laboràſſet; durationem mali præſentis; violentiam ſignorum, gangræna et alia infauſta indicantem; et effectus remediorum jam adhibitorum.

Cum ſenes vel conſtitutione debili præditos invadit, aut illos morbis prægreſſis vel vitæ genere exhauriente conſumptos, plerumque fatalis, et funeſtior hominibus præ fœminis, evadit. Cum diu duraverit eventus incertior eſt, quàm morbo recente; nam ex duratione, fabrica coli corrumpitur, et ligamenta conſumuntur,

ſumuntur, rugæ et cellæ corrumpuntur, et morbus deſinit in lienteriam vel diarrhœam chronicam.

Si inflammatio violentiſſima eſt, et diu duraverit, periculum eſt gangrænæ conſequentis; et ſi acciderit, mors inſtat.

Si poſt purgationem plenam alvi, tormina et teneſmus non minuuntur vel ceſſant, et ægrotans multùm debilitatus aſſiduè laborans, febre typho ab initio comitante, morbi eventus valdè pertimiſcendus eſt.

Petechiæ in cute, aphthæ in ore, cum viridis vel nigris purgationibus alvi fœtidiſſimis, ſummum periculum oſtendunt, et morbum eſſe putridi generis deſignant.

Signum eſt peſſimum, cum enemata inſtanter rejiciuntur, et plus etiam, quum ſphinc-

ter ani ita constrictus est, ut non injici possint.

Pulsus parvus et debilis, frigus corporis extremorum, oppressio circa præcordia, dejectiones urinæ et fæcum involuntariæ, cessatio doloris omnis, dysphagia, et convulsiones, sunt præsagia mortis instantis.

Sed si post cathartici operationem, dolor mitigatur, dejectiones minus frequentes amplioresque fiunt, et violentia tenesmi minuitur, pulsu tardiore, molliore, plenioreque existente, lingua humida, siti imminuta, somno quieto reficiente, eventum morbi felicem licet augurare. Et præsertim si cum pluribus paucioribusve horum signorum benignorum, sudor lenis per totum corpus dimanat, et sedimentum in urina depositum.

RATIO MEDENDI.

Febris naturâ consideratâ, æquè ac signis affectûs localis, indicationes sequentes optimè ad curationem accommodatæ videntur; et, experientiâ duce, auctoribus optimis commendatæ.

1. Inflammationis violentiam diminuere.

2. Contenta canalis alimentarii evacuare, vel acrimoniam obtundere.

3. Fluidorum determinationem ad superficiem promovere; et,

4. Intestinis vires reddere, ex morbi duratione labefactis.

Indicationi primæ, id est, inflammationis violentia diminutioni, regimine antiphlisticâ

generatim

generatim refpondetur, præfertim venæfectione. Et inclinat animus hoc remedium plerumque parùm adhibitum effe; quia auctores, proclivitatem fluidorum ad putredinem prævidentes, ferè omnes monent nos de venæfectione in hoc morbo. Interdum tamen celebranda eft fanguinis miffio. A Doctore Monro laudatur, cujus verba hæc funt: "Nor were we difcouraged from bleeding "in the beginning, by the low, quick pulfe "which often attended the diforder; and we "frequently found the pulfe rife as the blood "flowed from the vein *."

Eft fententia in Differtatione Doctoris Huxham, de commodis ex miffione fanguinis in hoc morbo oriundis, quam, utpote cum fententia fuprà tradita haud malè convenientem, mihi veniam daturam fore fpero, fi citaverim.

"Ut

* Vid. Monro *on the Difeafes of Military Hofpitals.*

" Ut fuerit ſemper febris plùs minúsve, " ſanguinem ideo plerumque incipiente " morbo detrahi curabam, ne gravior foret " inteſtinorum inflammatio, indéque acerbi- " ora tormina, demum gangræna."

Non tamen intelligi debet, venæſectionis uſum ſine diſcrimine commendari, ut exempla ſæpe occurrunt, cum ſignis talibus comitata, ut miſſio ſanguinis peſſimos ederet effectus. In dyſenteriis quæ in æſtate vel autumno ſeſe produnt, aut in calidis regionibus, cautè omnino uſurpanda eſt. Sed in iis quæ in vere vel hyeme accedunt, vel in frigidis regionibus, ubi diatheſis phlogiſtica adeſt, liberiùs adhiberi poſſit. Noxium eſt ubi hic morbus occurrit in hominibus debiliſſimis et relaxis, aut, quod ſanè idem eſt, quum aliis morbis ſuccedit. Sed ſi febris ſit vehemens, ægerque pleno corpore, ſanguinem mittere idoneum erit.

Opium

Opium quoque prudenter adhibitum, poſtquam ſigna inflammationis detractione ſanguinis et purgatione probè mitigata fuerint, remedium bonum eſt. Sed ejus effectibus non benè comprehenſis, quidam id adhibent dum non alii; ſed ex opinionibus variis inter ſe collatis decernere par eſt, opium poſt purgationis operationem cum maximo commodo adhiberi poſſe. Dr YOUNG affirmat, ſe id adhibere, tantum quum morbus mitis eſt, vel poſtquam violentia ejus evacuationibus et emollientibus minuitur. Et ſi poſt catharticum dolor non levatur, opium neceſſarium eſt, ſed non purgationum uſui ſuperſedit. Dr CULLEN videtur opium ſolum catharticis non ritè adhibitis, neceſſarium fieri. Opii doſes debent eſſe amplæ et infrequentes, ut effectus ſuos ſedativos præſtent.

Cùm dyſenteria epidemica graſſata eſt inter copias Gibraltariæ in æſtate anni milleſimi ſeptingenteſimi

ſeptingenteſimi quinquageſimi ſexti, ſignis innuentibus, venæſectione et mox emeticis adhibitis, et poſtea hauſtu ſudorifico mitis fuit reddita, paucique fato conceſſerunt *.

Secunda indicatio, vomitu, purgatione, et emollientibus expletur.

Ad excitandum vomitum, hæc emetica ſunt eligenda, quæ optimè videntur ad ſtatum ægroti accommodata. Si debilis ſit, ipecacuanha adhiberi debet; quia inter emetica mitia eſt, et igitur in ſtatu corporis debili aliis anteponenda. Sed ſi validus fuerit æger et vires non fractæ morbo, antimonii præparationes anteferuntur; enim quod vi emetica polleant, humores etiam ad ſuperficiem corporis fortiter derivant, et fortaſſe febrem comitantem abreviant, vel formationi ejus occurrunt.

CLEGHORN

---

* MONRO *on Diſeaſes of Military Hoſpitals*, quod vide.

Cleghorn in Obſervationibus de Morbis Epidemicis Minorcæ, vitrum antimonii ceratum commendat; ſed Doctori Gregory potiùs aſſentior, profitenti antimonium tartarizatum vitro cerato anteferri debere. Nullum commodum mihi videtur oriri ex ipecacuanhæ et tartarizati antimonii conjunctione, et quid boni præſtet talis doſis, qualis nauſeam ſolùm excitaverit, prorſùs ignoro, niſi propter conſenſum egregium, qui inter ventriculum et ſuperficiem corporis intercedit, humores hac abundantiùs promovendo, aliquantulùm mitiget ſymptomata.

Maxima curationis ſpes e purgatione ritè adhibita pendet; ſed multùm diſſentiunt auctores de medicamento huic fini optimè accommodato. Palma iis concedi debet quæ evacuationem expeditiſſimam, facillimam, et perfectiſſimam producunt. Sed perſpicuum eſt, idem catharticum in diverſis hominibus,

prout

prout varient habitus corporis, diverſos præſtiturum effectus: hinc facilè colligi poteſt, nullum medicamentum omnibus æquè convenire; et hinc cauſa in promptu eſt, quare alii auctores alium, prout cuique reſponderit, remedium commendârunt.

Quod ad ſecundum attinet conſilium, cathartica draſtica multùm uſurpari ſolebant: Sed ſæpe dolorem augent, et nunc mitiora anteferuntur, quippe ad ea ſæpiùs decurratur oportet: Tantùm enim abeſt ut hæc vires conſumant, ut novam ſæpe alacritatem ægrotanti concilient, materiem peccantem eliminando quæ tantùm moleſtiæ faceſſebant.

Varia ſalium neutrorum genera adhiberi queant; nimirùm, cryſtalli tartari, ſoda vitriolata, ſoda tartarizata, ſoda phoſphorata, lixiva vitriolata, magneſia vitriolata. Vel aliis catharticis generis mitioris uti licet; ut

ipecacuanha, rheo, manna, oleo ricini, hydrargyro muriato miti, &c. Oleum ricini videtur eſſe optimum; alvum bene ſolvit, et materiam acrem obtundit. Sed ſi rancidum vel mixtum cum oleo croti, (quocum ſæpe adulteratum eſt), maximè ſtimulat et valdè nocet. Dr Cullen rheum inter cathartica minimè idonea recenſet; et vellem illi aſſentiri; præterquam enim vim quâ pollet catharticam, vi quoque aſtringente præditum eſt, quæ id in ſtadio morbi magis provecto aptiùs reddit, ubi effectus tonicus et aſtringens neceſſarius eſt. Ipecacuanha nullam poteſtatem ſpecificam habere videtur, et tantùm utilis quantùm alvum ſolvat. Sed maximè ad judicium medici ſit relinquendum, ſtatuere quibuſlibet eorum præferentia debetur in ſingulis exemplis: Eſt illius quoque, quibus intervallis, et emetica et cathartica repeti debeant, diſcernere.

Materiæ

Materiæ acrimonia obtundi poffit, et inteftina jure gelatino defend:, p tionibus et diætâ mucilaginosâ, fcilicet, decoctionibus althææ, infufione lini, jure pullino, &c. enematum mucilaginoforum ufu: et admo um utilia funt; nam fi dolor fit violens antequam materia acris catharticis evacuata eft, 'evamen ex opio, quod morbum auget, haud petendum eft.

Quæ tertio confilio refpondent, funt, hauftus falini, diluentia, fimul cum liquoribus tenuibus mucilaginofis, vel julapio falino, et omnia diaphoretica, aut dofes parvæ fed frequentes, antimonii tartarizati, vel pulveris ipecacuanhæ compofitæ. Eodem confilio, nempe, derivationi humorum fuperficiem verfus, optimè accommodata funt, veficatoriæ et fomentationes calidæ, quæ, ob caufas maximè obvias, ad abdomen applicatæ funt; non fo-

lùm

lùm inflammationem minuunt, ſed ſæpe tormina admodum moleſta multùm levant.

Quum morbi violentia his modis vincitur, indicatio quarta oritur, tonum nimirùm inteſtinis reddere. Hæc abſolvi poſſit, anodynis, aſtringentibus, et amaris, ſimul cum aëre bono et puro, diæta nutrienti, exercitatione leni, veſtitu calido, et uſu ſubindè laxantium lenium.

Hydrargyrus muriatus mitis quibuſdam auctoribus nuper laudatus, qui medicinam exercebant in regionibus calidis, doſibus parvis ſimul cum opio, ita adhibitus ut ſalivæ fluxus inducatur, quùm morbus gradatim inclinat. Triginta vel quadraginta grana, frequenter ad ptyaliſmum excitandum valent.

J. Pringle, Eques, et Dr Huxham, rheo et hydrargyro muriato miti multum uſi ſunt, præ-

ſertim

ſertim in caſibus vermibus comitatis. Et cel. Cleghorn ait, ut hydrargyrus muriatus mitis in doſibus ſex vel ſeptem granorum, ſimul cum uno opii, nocte, poſt ſemicupium, et doſi ſennæ vel ſalis cathartici die ſequente, eventum felicem habuit, et multa fruſtula fœtida et dura eduxit, quùm omnia alia fruſtrà fuerunt.

Si febris formam intermittentis vel remittentis exhibet, curatio ejus ex uſu corticis Peruviani pendet; ſed in principio vix adhiberi debet.

Si debilitas eſt magna, pulſus depreſſus, et ſigna putredinis; tonici, ſtimulantia, et antiſceptica, ſunt adhibenda. Cortex Peruvianus optimus et potentiſſimus roborantium eſt, et adminiſtrandus eſt liberaliſſimè, ſimulque cum eo opium, cathartico leni præfato utile.

Pro

Pro ſtimulo et cardiaco vinum eſt optimum; et rubrum, Luſitanico vel Madeirenſi antefe-rendum eſt. Spiritus ammoniæ aromaticus dilutus, eſt ſtimulus bonus gratusque.

Cùm gangræna obrepit, nihil ab arte expectatur, et mors citò ſequitur.

Si lienteria remanit, vel morbus chronicus fit, curatio ex aſtringentibus et diæta debita pendebit, ex uſu vini rubri, extracti catechu, campechenſis, &c. Etiam corticis Peruviani, acidi vitriolici, et interdum aquæ calcis ope, curatio tentanda eſt.

Munditia in hoc morbo ſummi momenti eſt, nihil enim magis ad vires vitæ conſervandas tendit; oportet igitur ægrum famulantes curent. Opus eſt, fæces omnes inſtanter removeri ex cubiculo ægroti, induſia et ſtragula ſæpe mutari, frigidulum purumque aëra liberè admitti,

mitti, et cubiculum aceto vel alio acido vegetabili aſpergi.

Animi ægroti erigendi ſunt; et attentio maxima ad diætam eſt adhibenda: caro, vel quicquid fermentationi putridæ obnoxium, evitandum eſt. Poma, uvæ, aurantia, fraga, omnesque fructus maturi, farcimina macilenta, cycas, pulmentum oryzæ, juſculum ex pane, jus pullinum et gelatinoſum, victus optima ſunt.

In dyſenteriis putridis, nihil meliùs eſt fructu maturo; opinio hunc morbum ex uſu hujus aliquando proficiſci, ab auctoribus probatiſſimis falſa habetur.

Serum lactis in hoc morbo potus optimus eſt; ſed ſi non obtineri poſſet, aqua hordeacea acidula, decoctum hordei cum tamarindis vel prunis, aqua oryzæ, infuſum meliſſæ vel ſal-

viæ, aut decoctum album, potus ſunt optimi, et adhiberi poſſint prout res poſcat vel ægrotus velit.

Infuſum chamemeli, ſi ventriculus ferat, potus eſt bonus; ventriculum corroborat, et qualitatem antiſcepticam habet.

Curatio dyſenteriæ paucis abſolvi poteſt; ventrem ſolutum tenendo, et utendo diluentibus mucilaginoſis et lubricantibus, ſimul cum anodynis, ut res poſcat.

F I N I S.